

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3746

**Auteur(s) :** Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-au-Bosc, Notre-Dame, dépendance Le Bec (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** faux

**Datation :** 1270, 2 août

**Lieu d'émission :** Blangy

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Philippe [III], roi de France, confirme les biens du prieuré de Saint-Martin-au-Bosc.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 798, p. 183-184.

## Dissertation critique

Sur la datation et l'authenticité de cet acte, voir DELISLE, *Cartulaire normand*, p. 184, n° 798, n. 1.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, et vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus totius regni mei, salutem. Sciatis me dedisse et concessisse et presenti mea carta confirmasse, im puram et perpetuam elemosinam, pro salute anime mee, antecessorum meorum et heredum meorum, Deo, sancte Marie de Becco et Beato Martino in Bosco, et monachis ibidem Deo servientibus et servituris, omnes donaciones et elemosinas ecclesiarum, decimarum, terrarum, reddituum, possessionum et omnium quarumlibet aliarum rerum, que eis facte sunt in toto regno, videlicet : ex dono germani et amici mei comitis Augi, in Ulteriori portu, quatuor masuras et unam salinam, in burgo Augi totum redditum pelliciorum, et decimam thelonei de ponte, domum Valonis de Haricourt, cum omnibus consuetudinibus et franchisiis ad dictam domum pertinentibus, decimam denariorum bladi et advene et guerbagii laborum foreste predictae, boscum vivum ad edificandum et ad ardandum, quantum et quociens necesse fuerit, absque liberatione forestariorum, mortuum boscum ad vendendum quotidie ubi voluerint ad quatuor asinos, pasturam et pasnagium omnibus porcis et animalibus suis, cujuscumque speciei fuerint, ita libere sicut animalia comitis, mel et apes, ubicumque fuerint inventi in foresta, aut si de foresta emanaverint ; eorum servientibus et eorum dominicis tenentibus licenciam vendendi et emendi sive transeundi per totum regnum meum, libere et quiete, absque aliqua consuetudine, sicut res mee regie. Preterea concedo et hac presenti carta confirmo atque garantizo Deo et Beato Martino in Bosco omnes donaciones quas eidem ecclesie, pro suarum salute animarum, homines comitis Augi fecisse noscuntur, videlicet : ex dono Hugonis de Hainseville, ecclesiam de Hainsseville, cum patronatu et tota decima et suis pertinentiis, totamque terram quam idem Hugo habebat inter duos boscos, a cruce lapidea situata supra villam de Hainseville usque ad terram Sancti Martini in valle de Mortaigne, unum ortum et unam masuram et tres acras

prati sub carreriis dicti Hugonis, et duas acras prati juxta mollendinum de Hainseville ; ex dono Bartholomei de Longroy duos ortos et duas masuras et duas acras terre apud Crenas, manerium de Curia nemoris, cum suis franchisiis et libertatibus, exemptum ab omni seculare (sic) exactione, cum ducentis acris terre ad dictum manerium pertinentibus, et quod homines dictorum monachorum, in dicta terra manencium, sint quieti de operacionibus castellorum, poncium, fossatorum, et trencheiarum, et de omni seculari servicio et exactione ; ex dono Droardi de Mesnillo, decimam in garbis, leguminibus et aliis que decimari consueverunt, apud Mesnillum et Goesneare, tres masuras cum suis terris in campis apud Gousoville culturam de Quatrelivres, cum decima omnium que decimari debent, cum patronatu ; ex dono Roberti de Moucy, triginta acras terre justa forestam Augi ; ex dono Valteri Militis, tres masuras in Criolio, feodum et totum dominium de Luath, cum suis pertinentiis et franchisiis ad feodum pertinentibus, decimam territorii de Morichual et Frethemeulle. Hec autem predictae ecclesie Beati Martini in Bosco et monachis de Becco ibidem Deo servientibus concessi et presenti carta confirmavi, habenda et tenenda cum omnibus ad eam pertinentibus in perpetuum. Quare volo et firmiter precipio quod ipsa ecclesia Sancti Martini in Bosco et ejusdem loci monachi et eorum domestici habeant et teneant in perpetuam elemosinam omnia predicta, bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, cum omnibus libertatibus et consuetudinibus suis, in pratis et pasturis, in viis et semitis, intra villas et extra, et in omnibus aliis locis, presentibus comite de Augo, domino de Longroy, et Guillelmo de Moucy, ad quorum requestam et devotam supplicationem glorioso beato Martino hec confirmavi. Acta sunt hec apud Blangeium anno dominice incarnationis millesimo ducesimo septuagesimo, die secunda mensis augusti.